HARVARD
MEDICAL LIBRARY

IN THE
Francis A. Countway
Library of Medicine
BOSTON

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Open Knowledge Commons and Harvard Medical School

http://www.archive.org/details/viricadaverpubli00bose

Bose, E. G.
M 1774.1

# VIRI CADAVER

PVBLICE

IN THEATRO ANATOMICO

A. D. XXII DECEMBR. A. MDCCLXXIV

INCIDENDVM

ET EXERCITATIONES SPLANCHNOLOGICAS

INDICIT

## D. ERNESTVS GOTTLOB BOSE

ANAT. ET CHIRVRG. P. P. ORD.



Infelix ille casus, qui nuperrime manus brachiique vsum abstulerat, etsi nondum penitus sublatus, reprimere tamen non potuit magnum illum, quo aliis in perueſtiganda corporis humani natura vtilis esse cupio et pene deflagro, feruorem. Hinc auidissime arripui subitam opportunitatem, qua mihi oblatum est, ex propensa amplissimi Senatus atque Consulis, de patria meritissimi, beneuolentia, cadauer viri, ad suscipiendas demonstrationes anatomicas et in vsum publicum instituendas, aptissimi. Etsi vero in anteceſſum praeuideo, qui eiusmodi excercitationes vituperet, nisi in vni-

verſum artes ſcientiasque deteſtabili proſequatur odio, fore neminem, mori tamen obtemperaturus, pauca tantum, tum ob temporis penuriam, tum ob aegritudinis rationem praefabor, atque, quam cautus fuerit ſummus prouidusque creator, in muniendis defendendisque partium interiorum ſedibus, ediſſeram.

Tam multae quidem ſunt tamque variae, quibus corpus humanum conficitur, partes, vt, ſi quid ad ſingulam pertineat, dignoſcere velimus, operoſa admodum longaque opus eſſet perueſtigatione. Id, quod, quantum in me fuit, huc vsque ita perſequutus ſum, vt curatioris doctrinae elementa proponerem. Nunc autem perpendens mecum ſingularia illa atque artificioſa caua, quibus natura diuerſa indidit viſcera, ſingula eo comparata eſſe modo inuenio, vt aptius commodiusue quoddam alii loco tribui non potuerit. Percurramus ſingula.

Incipiamus itaque ab imo ventre, quem propter mollitiem, nec non ob pinguedinis ibidem non raram collectionem abdomen vocare ſolent diſſectores. Ille, ſi, vt in pectore videmus, oſſeo quodam munimento vndiquaque tectus conſpiceretur, parum vtique vtilitatis procuraret partibus intus contentis, quas extendi conſtringique viciſſim exigit neceſſitas.

Huic ergo fini obtinendo integumenta dedit natura, quae ſummam habeant mollitiem, et cedendi poſſideant facultatem, quae vero reſiſtere aeque ac potenter

ter reniti valeant. Etenim, si a cutaneis, toti corpori nostro superinductis, velamentis recesseris, inferiores totius pectoris margines, omneque latus ad vertebrarum columnam vsque, itemque omnem anticam regionem summumque inferioris peluis marginem carnibus contegi videbis, non simplicibus, sed in diuersa strata distinctis, mirabili ratione vaginantibus aponeurosibus iunctis, fortibus, pro diuersa sua directione distinctos admodum motus perficientibus et polychrestis. His, vtut vehementem exserunt vim, concessa tamen est cauis intus vrgentibus eosque extendentibus, promta remittendi vis, ita quidem, vt, dum in morboso statu, praecipue in macilentis, accedente spastica contractione, efficacius stringuntur, omne penitus abdominis cauum delere videantur, quum e contrario in naturali statu, si vel cibis distenditur ventriculus, vel foetu vterus, retineant potius quam vrgeant. Neque tamen sola sunt, quibus hic loci natura vtitur, subsidia. Summo potius intus cauo praeposuit septum natura, diaphragma vocant, quod liberum variis partibus iter concedit, sua tamen expansione et limites ventris figit et impedit, quo minus, quae subtus posita sunt, situm suum mutent, quin potius vndiquaque accedente cauarum diuersarum efficacia, officio, cui destinantur, peragendo aptentur. Firma videbuntur nunc omnia esse. Sed vlterius prospiciente prouidentia vniuersae dictarum partium superficiei internae noua addita est expansio, tenera et flocculenta ab altera parte, quae externa est, his ipsis autem filamentis cellulosis elegantissime adnexa, densa et compacta intus, quae peritonaeo nomen dedit et productionibus suis interio-

rum partium ſtationes ſedesque quam maxime figit et determinat. Siquidem non ea ſolum peritonaeum complectitur viſcera, quae dicuntur ad ciborum digeſtionem maximum conferre, verum etiam adeo euidentes ad interiora dimittit productiones, vt ſingulum fere illis, ceu ligamentis, in loco ſibi addicto remanere cogatur. Id, quod hepar, lien, ventriculus, et vniuerſus propemodum inteſtinorum canalis, euidenter declarant. Praecipue inteſtinorum largiſſimus ambitus meſenterio, ex peritonaeo oriundo, alligatur, vaſa inde recipit, ad marginem inteſtinorum bifurcata, in molli telae celluloſae ſtrato collocata, glandulae diuerſi generis interpoſitae deteguntur, vaſa lactea decurrentia conſpiciuntur; quae cuncta, niſi maxime idonea haec fabrica acceſſiſſet, commode huc referri vſuique ſuo praeeſſe non potuiſſet. Idem denique peritonaeum, auerſa ſua facie tegit atque munit partes alias, vt maxima illa, ſanguinem promouentia, vaſa, quorum, inprimis, quod ad arteriam aortam attinet, impetus motusque nec impediuntur, nec refraenantur, ſed liberrimi exiſtunt, quod eam faciem teneram et celluloſam eſſe aſſeruimus. Organa quoque, lotii confectioni deſtinata, ibidemque poſita, ſic habentur molliter, vt actioni eorundem obex obiici nequeat, quin potius ob ſingularem naturae prouidentiam euitari alia mala nequeunt, quae calculi geneſi adeo egregie fauere deprehenduntur. Interim vias, ſanguinem ad has partes adferentes, egregie exſculptas, magno pinguedinis aceruo exceptas, arterias, ne pulſu ſuo reditum ſanguinis intercipiant venis ſubiectas, detegimus, et in vniuerſum, quoniam ſubiecti quidam muſculi leniter haec organa,

ſiue

ſiue renes, concutiunt, illos alio quodam loco felicius poni nequiuiſſe intelligimus. Praetereo facile alias easque ſpecialiores vtilitates huius inuolucri, quarum non vltima eſt, quae ſtupenda prorſus, etſi ſenſim facta, vteri expanſione accidit tempore grauiditatis; nec minor ea eſt, quae, ſi violenta non acceſſerit cauſſa, vehementer coercet, quo minus pars aliqua, interius collocata, peruerſum occupet ſitum.

Aſcendamus autem ad thoracis cauitatem, in qua iterum ſapientiae diuinae teſtes copioſiſſimos fabrica offert curioſiſſima. Extus vndiquaque, praeter cutem, multas molleſue carnes apponi ſolus detracta cute conſpectus iam docet, quarum, pauçae licet ad ipſum pectus regundum pertinent, omnes tamen defenſionis loco ſunt, ne intricatam eius fabricationem externus quiuis impetus afficiat. Pectus quippe ex vnico oſſe conflatum firmiſſimumque reſpirationi maxime fuiſſet contrarium, ex diuerſis contra oſſibus, ſiue coſtis, compoſitum, quarum ſingula et oſſea et cartilaginea eſt, quarum ſingula, poſtice diſtincto duplici articulo, antice mobili cartilagini, adiungitur, quarum ſingula longitudine, directione, tum oſſeae ſubſtantiae, tum cartilagineae appendicis diſcrepat, ex quibus ſuprema et breuiſſima et firmiſſima eſt, propriisque vinculis fixa, nunc reſpirationis libertati tam excellenter proſpicit, vt in ſanis, inſciis fere ac inuitis, per omnem vitam eadem ſine intermiſſione ſuccedat. Nec tantillum continuus ille atque ad vitam ſuſtentandam abſolute neceſſarius motus, quem ſine attritus periculo fieri poſſe nec ſuſpicari quidem poſſumus, retardatur, ab intus

pectori

pectori obducta membrana, quae pleurae nomen tulit, quum superficies eius vtraque perpetuo vda frictionique aduersa inueniatur, quae sane conditiones laeuitatem conciliant. Hinc pulmonibus, in pectore deprehendendis, continuatione sua exterius largiuntur tegumentum, quod sacci instar omnem eorum interiorem massam comprehendit et propter iam dictas causas, quo minus aere distentus pulmo cum pleura cohaereat, in statu integritatis prohibet. Mediis pulmonibus cordis interest machina, perpetuo mobilis, itidem inclusa atque defensa velo membranaceo, vasculoso, humido diaphragmatis superficiei superiori atque reperiundae ibidem pleurae productioni adnexo, pericardio nimirum, descendente per anteriorem internamque pectoris faciem septo medio, quod mediastinum nuncupant, retento, ne collabascat atque cor contentum premat. Simile defendens munimentum mediastinum posticum est, quod ex mechanica licet necessitate vtrinque ex pleura, super corpora vertebrarum dorsalium conuexa ascendente, nascitur, spatium tamen conueniens relinquit, in quo praeter vasa alia oesophagus ductusque thoracicus tam tuti collocantur, vt quaecunque demum respirationis vicissitudo functiones partium non turbet.

Difficilis certe, si cuncta subtiliter rimari vellemus, nobis daretur exitus, hinc ad caput properamus, cui, quod nobilissimas corporis nostri partes recondit, munimenta, quoque multa, summaque data sunt cum solertia. Huc non refero cutem hic magis ac alibi stipato capillorum agmine instructam, quae multum tamen ad frangendam externae violentiae vim confert, neque, quae a SANTORINO

TORINO descripta est, tendineam galeam, quam ad cutis tensionem efficiendam non prorsus inutilem iudicamus, neque mirabilem ossium compositionem atque per suturas factam coniunctionem, de qua alibi exposui, sed ad interiora tantum munimenta respicio, quae encephalum ita ambiunt, vt a duris ossium superficiebus defendant et substantiam eius exquisite teneram retineant, eo modo, ne particulae quidem noxa accedat. Perpendamus tantum, quae omnium membranarum genetrix putata est, durae matris idoneam distributionem, haec, dum interiori capitis superficiei firmiter adhaeret et pene accrescit, dum per varia capitis ostia et foramina egreditur, vt cerebri cerebellique massa molliter cubet, efficit, praecipue autem interioribus, quos vocant, processibus, et quidem sic dicta falce, nec non tentorio cerebelli et vtrumque cerebri hemisphaerium dirimit, et fundum siue basin eiusdem a delicato cerebello remouet et sustinet, vt in quocunque propter varias vitae necessitates situ collocetur caput, interiori tamen huic massae nulla accedat perturbatio, quam in minimis periculosissimam esse nuperrime demonstrare allaborauimus. Deberemne huc etiam mentionem iniicere singularis cuiusdam munimenti, quod sub septi pellucidi nomine, sub corpore calloso cerebri et supra fornicem eius ab anterioribus retrorsum exporrigitur, aut valuulam illam sic dictam magnam cerebri adducere, quae intermedio canali et quarto interest ventriculo, vtut eiusdem praesentiam neget SABATIER apud VERDIERIVM. Etenim in his absque omni dubitatione singularia sunt auxilia, quae vero nunc in-

tacta dimitto, quod in ſummi creatoris gloriam, hoc ipſo potiſſimum tempore ſanctiſſime venerandam, breviter adducta ad copioſiora conquirenda veros numinis adoratores impellunt.

Dabo itaque operam, vt ex diſquiſitionibus, in eadauere maſculino inſtituendis, tum peculiaris defenſionum, quas dixi, ratio pateat, tum viſcerum, potiſſimum, quorum vſu omnis noſtra vita indiget, curatior ſtructura internoſcatur. Ad has itaque praelectiones ſplanchnologicas, RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM COMITES ILLVSTRISSIMOS VTRIVSQVE REIPVBLICAE PROCERES GRAVISSIMOS GENEROSISSIMOS AC NOBILISSIMOS COMMILITONES, omnesque, qui ex hominis fabrica Deum ſeque ipſos noſſe cupiunt, reuerenter inuitamus, iisque, vt frequentes intereſſe velint, obnixe rogamus. Initium erit futuro die Iouis a. d. XXII. Decembris ſequentibusue, hora poſt meridiem ſecunda. Qui ſectioni et praeparationi intereſſe volunt, accedant hora ante meridiem decima, iisque teſſerae dabuntur. P. P. Dom. IV. Aduentus A. R. S. MDCCLXXIV.

---

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIA

QM
33.5
B74
1774